



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Germanica

Châteillon, Sébastien

[S.l.], 1558

Capvt XVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54866](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54866)

THEOLOGIA

tatem, opusque suum exercere possit sine impedimento. Sed si seipsum excusare vult homo, & malum quoque sibi non tribuere, sed in diabolum improbitatemque declinare, dico malam gratiam, infamiam, & æternum infortunium ac damnationem huic homini deberi: quod ad id idoneus, paratus, accommodatusque sit, ut in eo diabolus, dolus, mendacium, cæteraque improbitas uoluntatem, potestatem, opus, orationemque suam habere possit, utque sit ipse illius domus atque habitatio.

CAPVT XVI.

*Christiana
vita optima
est.*

HOC quoque animaduertendum, credendum & sciendum est, nullam tam præclaram & bonam, tamque Deo charam esse vitam, quam vitam Christi, quæ tamen omni naturæ & ipsitati vita est acerbissima. At dissoluta, liberiorque vita, est omni naturæ, ipsitati & egoitati dulcissima suauissimaque. sed non est optima, aut præclarissima: potest tamen in nonnullis hominibus optima fieri. Verum quauis Christi vita acerbissima sit: est tamen omnium
cha-

charissima: id quod hinc percipi potest, quod ea est cognitio, qua cognoscitur verum simplexque bonum. quod quidem bonum non est hoc aut illud, sed id est, de quo dicit Paulus: Cum perfectum & integrum venerit, abolebitur omnis diuisio & imperfectio. Quæ eius sententia talis est: Perfectum superat omnem diuisionem, & omne diuisum & imperfectum nihil est præ perfecto: ita abolebitur etiam omnis cognitio diuisi. Cum integrum cognoscitur, & ubi cognoscitur, ibi necesse est ut etiã ametur, ita ut alius amor quo homo seipsum & alia amat, in uniuersum aboleatur. atque hæc scientia cognoscit etiam, quid optimum & præclarissimum sit in quaque re, idque amat in vero Deo: & quidem nullam aliam ob rem, quam propter verum bonum. Atque ubi est hæc scientia, ibi scitur Christi vitam esse optimam & præclarissimam, ideoque etiam omnium charissima est, & libenter habetur atque fertur: neque curatur utrum ea naturæ, aut alioquin cuius suavis, aut aspera, grata, aut molesta sit.

1. Cor.
15. a

Præ

THEOLOGIA

Præterea animaduertendum est, in quo homine verum hoc bonum cognoscitur, ibi oportere etiam vitam Christi esse & manere, vsq; ad mortem corporis. Qui aliter opinatur, fallitur: & qui aliter dicit, mentitur: & in quo homine vita Christi non est, ei ne verum quidem bonum, aut veritas cognita est.

CAPVT XVII.

*Via ad
Christū.*

Nemo se putet ad hanc veram lucem, veramque scientiam, aut ad Christi vitam peruenire posse, multis quaestionibus, aut auditionibus, aut legendo, aut studendo, aut excellentibus arduisque scientiis, & eruditione, aut excellenti naturali ratione. dicam amplius: Quoadiu homo quicumque de re quapiam retinet, aut aliquid in amore, existimatione, cupiditate, studio, ue suo tractat, aut in manibus habet, quicquid illud tandem est, siue ipsemet homo, siue quodcunque aliud, non peruenit ad hoc. Hoc effatus est ipse Christus, vbi ait: Si vis venire post me, renuncia tibi ipsi, & sequere me, & Qui sibi ipsi non renunciat, & qui suae vi-
tae

*Matth. 7.
16. c.
Luc. 9. c*